ARA MAXIMA VATICANA,

A SVMMO PONTIFICE VRBANO VIII.

Magnificentiſſimè inſtructa.

10



VRBANVS OCTAVVS PONT·MAX·

Carmen Lalij Guidiccioni.

ROMÆ, Typis Hæredum Gulielmi Facciotti. MDCXXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

ru
Ae
om
de

Ne
con
miſſ
ſoli
Oct
neri
pita
men
pro
ſe g
tu
ficar
crep

VRBANO VIII.
PONT. MAX.

Lælius Guidiccionus F.

EXCITASTI Aram (Beatiſſime Pater) quæ tibi excitet immortalitatem. Aram enim appello ſuperinductum Aræ Thalamum, ſolidumq́. ornatum ab integro conſtitutum, toti rei ſplendorem, & nomina conferentem. Cœleſtem Aram in terras euocaſſe te dicerem, nàm & Cœlum mortalibus impertis; ſed hìc ambigo, Aramne dicam, an integram Aedem Apoſtolorum, an Pietatis Sacellum, ipſius Cœli Aerarium, Conditorium Aeternitatis. Meritò ſtat omnium Maxima per te, ſuper quam ipſe omnium Maximus primùm ſediſti. Meritò & poſteritas vſurpabit de te Virgilianum illud:

Hãc Aram Templo ſtatuit, quæ Maxima ſẽper
Dicetur nobis, & erit quæ Maxima ſemper.

Neque id ocioſè ſuppeditat tanti vatis octauus liber, vt aptiùs congruere videatur Tibi, Vrbaniſſimorum Pontificum Octauo, firmiſſima conſtruenti. Hic enim numerus abſolutæ inter cœteros ſoliditatis eſt; Ideòque, licet ab Adam ſit decimus Noe, illum Octauum dicit Apoſtolorum Princeps, nempe ſolidum ſeruati generis propagatorem; Ipſamq́. generis propagationem ad octo capita redactam, ſua firmitate conſiſtere voluit Deus. Vt ne commemorem ex S. Ambroſio, Octauam, ſummam eſſe virtutum, & pro Octaua multos inſcribi Pſalmos; Nàm & Beatitudo, totidem ſe gradibus includi paſſa eſt. Cœterum, Beatiſſime Pater, Apes tuæ; non vt vulgares aliæ, metallis crepitantibus conſopitæ; mellificant; adſuſurrant; ingenia ſuſcitant & ſopita. Falsò Vetuſtas increpuit ære Matrem Deorum; Patrem te, & Paſtorem hominum

Vetuſtũ adagium: Omnia octo. Sed innumera ſũt huius numeri Sacramenta. De quibus videre eſt Petr. Bungum, in eodem Numero.

† 2 noſtra

noſtra ætas non mentitur. Quid fabula de immortali Ioue clàm edito inter eiuſmodi ſtrepitus? Verè nùnc, & palàm, Vaticana Aedes diu parturiens, inter metallorum agitationem edidit partum nonniſi æternum. Ego verò non expergiſcar tali ſonitu, vt fruar tanto ſpectaculo? Nulli Pontificum recentiorum iſta rei moles, & imago animo præſumpta eſt; Non Gregorio, & magnis retrò deceſſoribus, quorum diuerſa erupit aliò munificentia; non Xyſto, qui propter id ipſum, Teſtudinem maturauit, Coronidem clauſit; non Clementi, qui ſtatuendæ Aræ ſtudioſiſſimus, illam ſollicitè ambijt; nec demùm Paulo, qui ambitus auctor immenſi, Templo addidit propemodùm noua Templa; Singulis tamen expedienda res, quippe neceſſaria cumprimis, obuerſabatur. Quorsùm enim deturbatio veteris Templi, & religioſiſſimi quidem? Quorsùm noui ſubſtructio, niſi propter Aram? Ipſum omnium auguſtiſſimum, vt afflueret omnibus, principe hactenus ornamento, & abſolutione carebat. Nam quid eſt Cœlum ſine Sole, ſine corde corpus? quid inter minuta annulus ſine gemma? Rem itaque cunctis aggrediendam ex neceſſitate, nemo eſt aggreſſus ex magnitudine; Et difficultas agendi, neceſſitatem attulit non agendi. Tu, magno quo es animo, aggrederis, exitu maiore perducis: Cœtera quidem laudandus, ſed & vrgendi celeritas, an pernicitas conficiendi, operi pretium auget. Auget verò & temporis iniqua conditio, inter tot impendia, & calamitates; & inde æquiſſima eiuſdem temporis ratio, qua præcipuum hoc tibi impendium feceris ingruente calamitate, vt magnificè excoleres calamitatis publicæ Depulſores. Auctum ergò tot laudibus, tot nominibus opus, ſed ſe ipſo perquàm auguſtum, ſtat paulò plus biennio peractum abs te, ſæculo amplius, à pleriſque multiplici modo, & forma delineatum, effictum: excogitatum à nemine. Nùnc, excitatis gaudio vniuerſis, quando vel exteri à Fide, in Ro. cultus venerationem ſe allici ſentiant neceſſe eſt; quantopere gaudendum eſt Chriſtiano homini, & in Clerum adſcripto, & tuæ iampridem addictiſſimo Sanctitati, quòd tantam Chriſtianæ magnificentiæ factam acceſſionem videat: quòd in honorem ſacræ militiæ Principum: quòd factam abs te, de cuius gloria præter cœteros triumphet, & gaudeat? Rem tot annos inſperatam, idcircò miramur minus, quia habemus auctorem: idcircò credimus fieri potuiſſe, quia factam videmus. Infrà annos totidem, & deinceps, videbit ſanè poſteritas nec incredula;

dula; ſed ſummota auctoris, facilitatisq́. præſentia, admiratio inualeſcet. Si inter monumenta veterum, tale aliquid emerſiſſet, ſtaret etiamnum; aut, ſi Barbarorum furor Temporis iniurias anteuerteret, horum iniurias, illorum obliuionem, Scriptorum ingenia præuertiſſent. Meminit nonnulla quidem aliquis, ſed talia erecta teſtatur nullus. Nùnc, relinquiturne ambigendi, quà datur aſpiciendi locus? Aut vlla tentabit obliuio Machinam obliuionis expugnatricem? Signum Herculis æneum ſeruatur in Capitolio, ſatis nobile oſtentum antiqui laboris. Ibidem ex ære Statuam Marci Imperatoris equeſtrem ſuſpicimus; Et in Foro Equum Domitiani vſqueadeò ſuſpexit antiquitas, vt illum ſibi fluxiſſe de Cœlo, eiuſque conformatione fatigatos Cyclopas vulgauerit fabuloſa. Vidimus æneas Templorum contignationes: Poſtes videmus, & pleraque notæ minoris ſigna. Audimus & in eximio, ac fluentiſſimo Latinorum, æs riuis fluens; ſed in quod opus? Scilicet ad Clypei fatalis fabricationem. Nàm liminum gradus ex ære, Trabes, & fores Templi Carthaginienſis, ex illo audio; verùm, an ipſa Carthago in ſe viderit, neſcio. Neſcio, an viderit Corynthus, ſolo ære tàm nobilis. Videt nùnc Roma per te ingentem molem, ſiue ingentium triginta molium congeriem (nàm toties iſthæc in immanium ſcopulorum ſpeciem metalla conflata ſunt) tàm aptè coeuntem, vt facili enata ſolo videatur; tàm nulla opificis laſſitudine, vt annorum iuuenis trium, & triginta, alieni opificij cultor, qua eſt modeſtia, quibus animis, nihil hoc peregrino opere confeciſſe ſe velit; tanta elegantia, vt varietas ſatietatem diſpungat, pulchritudo ſuperet amplitudinem; tanta demùm magnificentia, vt ipſi veteri Capitolio potuerit eſſe miranda, & ipſi Columnarum poſitori Herculi; licet is fuerit, qualem vetuſtas finxiſſe ſibi videri voluit, publico bono nonniſi maxima perpetrantem. At tu, Magnanime Pontifex, qui multiplicem ſplendori, ac virtutibus cęterorum præſcribis metam, tuis verò nullam: ſi non aureis Cœlum Clauibus reſerares, ærea Cœlum machina poteras oppugnare. Quid dicam maius? Nonne parem geminorum Principum meritis animum attuliſti? Nonne viam reliquis claudis, quam aperueris ſoli tibi? Spatium id ingens eſt: tu ingentior, ſolus imples. Dùm enim id confeciſti, quod cogitauit nemo, ſpes relinquitur nemini, conficiendi quod tu feciſti. Exemplum igitur exhibes, facultatem adimis imitandi; Neque tuum modò eſt ipſum opus, ſed ipſe quodammodò Artifex opus eſt

tuum.

tuum. Cui vel nouos animos indidiſti, vel ex integro talem condidiſti, qualis nec futurus ſperabatur. Et quid mirum, Artificem obtemperaſſe monenti, ac ſingula diſponenti tibi, qui vel iuſſu metalla potueris animare? Ergò, vniuerſis mirantibus, hæreo ipſe, animati Aeris inſpector penè marmoreus. Si ſtupor afflatus fuiſſet, mira fortaſſe vaticinabar. Cecini tamen neſcio quid; exaraui, & ad Aram ſtatuo. Tu, poteſtatis Diuinæ in terris magna portio, ſupremum Maieſtatis humanæ faſtigium; maximum idem virtutis, & gloriæ Simulacrum es meum. Quantus es, quantulus ego ſum, tibi mea ſiſto, & voueo. Votiuam hanc appendo Tabellam; id oro, ne excidat. Vt nunquam merita intercident tàm præcelſa, obſequia tàm demiſſa, ſic, vtramq́. immortalitate obſignari memoriam, precor ſit iuſta precatio. Potuit doctior vnuſquiſque componere meliora, ſed animo certè meliore non potuit. Singulis concedam ingenio; at religione ergà Beatiſſimi PETRI Aedem, ac Sedem, nemo mortalium id me velit. Quicquid eſt mei operis, Beatiſſime Pater, aut dignum tuis manibus, contrectabis: aut indignum, non detrectabis pedibus aduolutum. Ibi ſe effundet in oſcula, effundi minus doctum in carmina. Vellem quidem, ſe ipſo viueret; ſed viuet tamen ex te, ex gloria tui nominis, ex immortalitate operis tui. Te bonorum omnium Largitor, omnium bono diutiſſimè ſeruet DEVS.

Romæ Kal. Aug. *1633.*

Qui Beatiſſimi PETRI dies, addictus ferro pœnalium Vinculorum, iure hìc addicitur & honori triumphalium Metallorum.

AD EVMDEM PONT. MAX. de ſe ipſo.

ROMA MORA: MARO AMOR.

ROMA facit Vatem, ſpectantem magna; Canendi
Dat ſtudium, ſemper qui canit alta MARO.
Magna, Vrbane, facis; canis idem grandia. Vatem
Me tanto & fieri Principe poſſe negem?
Quidni dulce canat, cui per te læta canenti,
Dulcis ROMA MORA eſt, eſt MARO dulcis AMOR?

Mi

Mi Lector.

NEQVE ego tecum breui carmine rem confecerim, neq; tu me longioris Poematis cauſa, epiſodicum iure dixeris. Sanè, citò me abſoluas, ſi Aram, opus quantumuis maximum, deſcribens, nihil præterea complecti velim. Sed quoniam ſub eiuſmodi ſtructura latet eximia rerum Supellex è Chriſtiani hominis vſu; illam non explico quidem, ſed illius aliquid expono; quippe obtemperare argumento debui, vt ne rerum dignitas fraudaretur, & craſſiorem tibi ipſi fraudem facerem gracilitate poematis. Ne, quæſo, feſtinus ad Aram veni; ad Aram omnium principem; ad Principes Chriſtiani Orbis ſupremos. Præproperum te paucis poteram expedire. Sed neque religioſa ſit mora, vbi immoremur in Religione: neque raptim agatur cauſa pietatis, quod veriùs non agere eſt. Nihil enim in vllo morari, quandoque eſt & mereri nihil. Cur ego ſplendidiſſimam materiam deſultem? Cur meme abdicem pretio operis? Si negocioſus es mihi, tibi nec ſum moroſus. Si non is es, quem de Beatiſſimis PETRO, & PAVLO vel diutius audire delectet, frigidum mea dicta non tangunt. Vel tempeſtiuum te volo, vel nullum. Non ego nimius, qui Apum more, florentiſſimam ſegetem vix delibo. Nàm ſingula perſequi, id oppidò nimium foret. Nùnc, quod polliceri habeo, ſic habeto. Quàm intima eſt Ara Templo, tàm non extranea argumento vbertas innaſcitur. Singula è cauſa viſceribus, vel ad ſacratiſſimos Cineres referuntur, vnde eſt Ara; vel ad Aram, vnde eſt Templum; vel ad vtrumque, & noui Conditoris celebritatem. Horum opportuna complexio meus labor fuerit; fœlix iſte, necne, tuum eſto iudicium. Legar ab illo, cuius intereſt ſui operis iuſta laudatio; nulli me neglectum putabo.

Sic denique, de ipſo ſcribendi genere præfari liceat:

Virgilium ſequimur, non lædimus; aurea Vatis
 Cultu, non furto ſtat monumenta ſequi.
Qui diuerſa probas, quid me legis? Aut tibi cultus
 Eſto idem: aut mihi tu, ſim tibi & ipſe grauis.

DE ARA MAXIMA VATICANA.

TOta DEI Templum eſt, quæ fulget machina rerum;
Ipſa Orbis Templum maxima Roma patet.
ARA ſed hæc meritò: vel Templum Roma, vel Orbis
Ipſe ſit: & Romæ MAXIMA, & Orbis erit.

De eadem.

AVRO expreſſa ſubeſt mens, & facundia. Vocem
Æs notat. Ære, auro nùnc ſolida Ara nitet.
Facunda quis mente operi par, quiſue canora
Voce queat dignos ære ciere ſonos?
Totus ego, ò; ſim mens, totus vox. Ipſa ſed Ara
Tota aurum, tota æs, ſe canet vna ſatis.

De eadem.

CONDAT Fama Tubam. Non ſic Tuba vincitur ære
Immenſo, vt Famam nobile vincit opus.

ARA

ARA MAXIMA VATICANA.

Memnonium quiſquis ſimulacrum, tactaq́. primo
Aera canit iubari, reddentia murmure certo
Eoos ſonitus: miracula numinis aurei,
Materno Auroræ documento didita terris;
Vrbem ille Auſoniam recolat; Templumq́. reuiſens
Magnanimo poſitum PETRO; ſcopuloſaq́. celſis
Atria fornicibus; ſolido ceu marmore montem
Ingreſſus, caua quà latera, & laxata renident
Per gyrum ſpatia, & variata coloribus, altè
Abripiunt animos penetralia, fultaq́. Cælum
Stelligerum referens, æquat ſe machina Cœlo;
Incedat, mediaq́. gradum Teſtudine ſiſtat.
Protinus ætherias voces, atque intima ahenis
Aligerum ſignis concuſſo murmura corde
Percipiet, radijs Solem indulgentibus auro
Perſpicuum, inq́. ſonos animantem fulua metalla.
Atque hæc dicta bibet perculſi pectoris hauſtu;
Tanta viget virtus, tàm viuax ardet imago!

Quid trepidæ adſtatis mentes? Nunquàmne ſupernos
Tranſuolitare orbes, veſtri cunabula & ortus,
Aſtra remetiri, & ſuperos ſpectare libebit?
Accipite ergò alacres quæ nos oracla noua vi,

Vnanimesq́. in veſtra damus præcordia voces,
Sole ſub igniuomo, cuius Sol aureus vmbra eſt.
Quandoquidem reptatis humi, obtutuq́. tenetis
Tellurem, atque imis iuuat incubuiſſe latebris;
Nullum & celſa ſequi ſtudium; ſupera ardua nullus
Veſtigare oculis labor; ima indagine ſaltem
Hoc luſtrate ſolum, has latebras, quæ, pignora Olympi,
Clauigerum magnum, magni Præconis & ora,
Tantorum oſſa Ducum, puri quondam ætheris auris
Afflatos artus, arcano viſcere ſeruant.
Quos, vitæ ceu iunxit amor, non morte ſub ipſa
Enſesq́. immanesq́. Cruces diuellere; non hos
Externæ vires furto, inſidiæq́. rapaces
Diducto amplexu potuere auertere, iunctim
Quin ſua Romulea ſeruarent corpora terra,
Corpora, quæ fida ſuperi ſtatione tuentur.
Seu vos Romulidæ triſtis contagia morbi,
Seu terrent confertæ acies, arma extera; ſeu vos
Tempeſtas, & dira fames, & lethifer annus;
Hìc medicas orate manus; tutela pericli
Hàc patet, infenſosq́. metus dediſcere fas eſt.
Seu vos Auſonij, Cælo gens fida, coloni,
Galliq́., Heſperijq́., Indi, & quod germinis vſquàm
Chriſtiadum, veſtros populis iactatis honores;
Hanc Aram celebrate, ſacris fundamina veſtris,
Munimen fidei, ſolidæ Pietatis & arcem,
Relligione placentem aſtris, Hereböq. timendam.
Aram, ſolus vbi peragit Diuina Sacerdos,
Pro cunctis qui vnus ſemper litat; omnibus vnus
Dat iura; è terris cui ſumma potentia ſoli
Cœleſtes aperire fores; Neue Infera virus

SS. PETRI, & PAVLI corpora à pijs Orientalibus clàm ſublata, vt illa ſecum abducerent, depoſita ſunt in loco, qui dicitur ad Catacumbas, ibiq́. aliquandiu ſeruata. Sed tãdem aſportaturos, Tonitrua, & fulgura diſiecerunt: Romanos diſcrimini ſubtraxerunt.

Antra

Antra vomant, valuas centeno claudere vecte
Tartareas, centum vincire & monſtra cathenis.
Dulciloquis tales modulis, & voce quaterna
(Ceu totum à totidem compellent partibus Orbem)
Tranſmittunt Simulacra ſonos; concordia quos dat
Impariles, mentiq́. habiles. Spirantia cernis
Intuitu primo, non aure loquentia ſentis?
Nonne vides iubare Aligeros radiante coruſcos?
At monita excipies penetrali pectore, mentem
Terreſtres ni hebetent ſenſus, & terrea corda.
Surge animis: Te iunge Deo, ſorte vtere Cœli,
Fortunate hoſpes; latebraq́. exceptus opaca,
Per faciles deſcende gradus, quà marmora cruſtis
Afra coloratis lucent; quà lampade crebra,
Lumina dùm auratis ardent radiantia Lychnis,
Vmbra loci tenebroſa, diem dat victa perennem.
Continuò inſuetum tentabunt viuida pectus
Gaudia; ſuccedent terrarum obliuia; curæ
Sordeſcent humiles; ſtimulisq́. incenſus amoris,
Optabis curſu mortalem attingere metam,
Carcere diſrupto, atque æuum prætendere vitæ.
Nam quæ ſegnities iuſtiſſima vota moratur?
Si tàm præſenti completur numine ſedes
Abdita, Maieſtasq́. loci: Quæ gloria ſedem
Sydeream, qui replet honos? vbi regna pateſcunt
Lucis inexpletæ? Vbi ſe præſentia fundit
Numinis? O Patria, ò Sedes! Si gratia tanta eſt
Oſſibus, & cineri extincto; ſi tanta ſepulchri
Omina: Quale decus, quænàm ſpectare triumphum
Lætitia eſt? geminosq́. Duces, quos millia mille
Cælituum plauſu decorant, choreisq́. coronant

Nexilibus, ſemperq́. noua circumflua luce
Agmina circumſtant, oculis, vultuq́.decoros,
Extantesq. humeris altè Palmasq. ferentes?
Sanctæ quos animæ, æternum pœana ſonantes
Stipant, agnoſcuntq. Patres, celebrantq. magiſtros
Dilecti cœtus, per apertas diffitus oras
Qui Romam agnoſcit Patriam, gentisq. togatæ.
Et memorant laudes, & grandia facta recenſent
In generis commune bonum, appellantq. viciſſim
Ductores, nulli cedentia corda periclo,
Et procerum proceres, rerum & molimine multo
Rectores populorum, aſſertoresq. ſalutis,
Omnipotens ſacro peperit quam ſanguine Chriſtus;
Atque iter edocuit; ponè adnitentibus ipſis
Exemplo geſtorum operum, àtque interprete lingua,
Complanare viam, poſtquàm Cæleſtia magnus,
Morte triumphata, remeauit Regna Magiſter.
Ipſi præcipuo gaudentes lucis honore
Chriſticolum altores gemini; non agmina quali
Cœlituum vulgò radiant, ſed quantus ab alto
Solem vtrumque decet, conceſſum deſuper Orbi,
Tergat vt antiqua obſeſſas caligine terras;
Obtutu penitus defixo, animisq. feruntur
Immenſam in TRIADEM: Patrem, ſobolemq.Parenti
Aequæuam, quos æquæuus flammeſcit & inter
Spiritus; haud Numen triplex, ſed luce refuſa
Simplex; conflatumq. tribus Magnum Orbibus Orbem,
Nuſquàm diuiduum; Trina ſub imagine vultum
Haud circumſcriptum; Quod claudit & omnia circùm,
Quod cunctorũ anima eſt;Sanctum,immutabile Numen,
Nulli comprehenſum, conceptum, effabile nulli;

Cuncta

Cuncta creans vnum, ſtabili omnia lege gubernans,
Omnia ſemper amans. modò quod ſe intelligit, & quod
Ex ſeſe fluit, in ſeſe redit; omnia complet,
Nil aliundè trahens, nulli hærens; Cuius Origo
Nunquam oritur, nunquam emoritur; quo manat ab vno
Principium ſine fine ſui; Solòq. beatos
Efficit aſpectu; Quod ſi vel Tartarus ipſe
Conſpiciat, ſortis ſit Tartarus ipſe beatæ.
Olli concilio in medio, ordinibusq. canentum,
Pſallentumq. modis miris, nomenq. verendum
Voce ſalutantum, laudes, & carmina dicunt. *Pſalmodia Cœleſtis non intermiſſa.*
Ter Sanctum dicunt, Terræ, Aſtrorumq. parentem,
Munificum, ſemperq. pium, ſemperq. colendum;
Et dicent, ſpatio immenſo irreuolubilis æui.
Tùm pariter vultus Auguſta in VIRGINE figunt,
Cernere quam promptum eſt: radiat nàm dextera nato,
Nato, qui radiat Genitori dexter; at ambos,
Vnum inter ſeſe, proceſſuq. alter, & idem,
Iungit inexhauſtæ vitalis Spiritus auræ.
Ergò & Reginam, magno quæ ſumma Parenti
Filia, quæ vnigenæ Mater, quæ candida Amoris
Sponſa nitet, mirantur, inardeſcuntq. tuendo.
Quam, niſi præſtiterit iàm ſe Deus ipſe videndum,
Credas eſſe Deum, ſub maieſtate latentem
Virginea. Dudùm latuit ſub Virginis aluo
Quippe Deus, thalamumq. ſibi, gazamq. parauit
Diuinam ex vtero, cedit cui Regia Cœli.
Sed qui olim latuit, nùnc eſt manifeſtus in illa.
Quin etiam fuit, exuuias cùm VIRGO caducas
Ferret adhùc, rapidas & ſolo ſiſteret auras
Aſpectu, inceſſuq. roſas pudibunda cieret,

Qui

S. Dionyſius Areopagita.

Qui caneret; Niſi certa Deum veſtigia monſtrent,
VIRGO erat ipſa Deus. Quæ verò huic gloria, quantus
Creuit honos, poſtquàm mortalem lucida ſortem
Greſſa ſuper, medijsq. altè ſubnixa volantum
Agminibus, ſortita Deo contermina ſedem,
Ardet amans, præfertq. Deum? Tantum eminet ore
Imperiumq. decusq., pia & clementia tanta eſt?
Sancte Pater, Galilæe ſenex, fortiſſime Ouilis
Cuſtos Romulei, ſalue. Tibi contigit vni
Chriſti impleſſe vices primùm; mox VIRGINIS ore
Chriſtiparæ, alloquiòq. frui; cæleſtia facta
Greſſus, & ſtudia, & mores tibi noſſe licebat.
Salue magne Senex; Lateri tu fidus inhæres,
Dùm ſonitu adſpirans Cœlum diſcedit, & intrà
Conclaue interius iaculatur flammea dona.
Et deſiderio tabentia corda fideli
Solatur, dupliciq. æſtu compenſat Amorem
Aeſtiferum, carosq. ignito vertice ſignat.
Prætereà, dùm digreſſus meditata ſupremos,
Tanta oculis Regina, viam deſignat olympo,
Vndenos inter Proceres (nàm Didymus abſens
Non explet numerum) famulantum, & mira canentum
Inter Pennigerum cœtus; ſuſpiria cordis
Virginei, atque ignes, & verba nouiſſima condis.
Luſtralesq. adhibens in membra haud indigna lymphas,
Lymphas contactu puro, puriſſima poſthàc
Dona ſacras; fortunatum neque deſeris vnquam
Ceruical; poſitoq. genu, lacrymisq. profuſis,
Dùm terris ſupereſt, animatum Sydus adoras
Vndantis pelagi, tua quod Ratis inclita ſulcat.
Et nitidam Cœli Portam veneraris, vbi ipſe

Sãctiſſimam Deiparam ſalutat Eccleſia, Maris Stellam, Cœli Portam.

Claui-

Clauiger es quondàm lectus; Sanctumq. cubile
Contingens fletu prædulci, & multa precatus
Pro ſocijs, pro deſertis munimine terris,
Hanc ipſam imploras ſolidum munimen ab alto,
Expectata diu quò tandem REGIA VIRGO
Succeſſit. Mox, orba ſacro cùm pignore buſta
Sunt luſtranda, tuis patuit ſcrutabile marmor
Auſpicijs; quando hæc iamtùm tua ſumma poteſtas,
(Tanta fuit terris, quantò eſt nùnc maior ab Aſtris?)
Pandere theſauros, reſerare & pignora Cœli.
ET meruit generoſa fides, qua ſponte relictis
Retibus, & Lintre, & reliquis, quorum vſus egebat,
Grandæuo Dominum ſequeris cùm fratre vocantem.
Quem rate deſiliens, conſpectum in littore longè
Dùm repetis, ſicco liquidas pede conteris vndas.
Scrutantemq. animos, fido foret alta receſſu
De ſe fixa ſuis quænàm ſententia; non tu
Cunctanter, non ambiguo ſermone, tonantis
Vociferans prolem Patris, & faſtigia morem
Humanum ſuprà conſcendens, præmia tanta
Digna fide, & tanta fers digna oracula voce.
Quem fida ſtatione cupis ſeruare, tribusq.
Excubijs, ſummo tentoria figere monte.
Nec deſerturum duræ inter præſcia mortis
Dicta voues; interq. dapes iuratus, & vnà
Commoriturus abis. Mox agmine circumſeptum,
Nocturnoq. dolo, euigilans vbi cernis, in hoſtem
Impete fulmineo abriperis, mediamq́. cohortem
Irrumpis gladio, & ſpecioſo vulnere truncas
Tendentem contrà, & reſupinum, & dira trementem.
Aſt vbi te vox increpitat, ſanabile vulnus

Quæ

Quæ facit, & dirimit pugnam, atque exterminat enſem:
Quando alijs peragenda armis eſt cauſa ſalutis:
Ilicet inſequeris tacitus per triſtia raptum
Supplicia. Et poſtquàm caſu tremefactus acerbo,
Ante focos frigens, potuiſti voce negatum
Diſſimulare Ducem, ſed quem non corde negares;
Continuò lacrymis fluis, eſt lugere voluptas
Sola tibi; & fletu, ſis quamuis Petra, liqueſcis;
Et liquido fletus diffindis marmora ſulco.
Eheu, quò diuerſus abis amor? hactenus en quò
Intemerata fides? Sedenim depoſta ſepulchro
Ad ſpolia accurrens, licet à præeunte ſecundus
Pergis iter, prior ingrederis. Liberrima ſemper
Concilio canis in medio; gentisq. ſupremus
Rector Idumææ, nil non meditaris; ab alta
Omnia ſollicitus ſpecula circumspicis. Et iàm
Imbueras Aſiam monitis, ſedemq́ locaras
Vrbis in Antiochi gremio; Iàm ſacra ferebas
Vrbem ad Romuleam. Fœlix ò Appia, tanto
Semita prima Duci. Patuit noua forma Triumphi,
Pauperies, durusq. ſenex. Stetit horridus Heros
In baculo, hirſuta & zona; cui frigora, cui Sol
Exurunt artus; ſed longè ardentior vrit
Intus amor, populis pietas & nata fouendis.
Talis eras. proh quantum inſtar! Quæ gratia! plenus
Teque ipſo, plenusq. Deo. Quiq. arcibus infers
Romanis Cœlum, & cœleſtia munera; egenus,
Intonſusq. hirtusq. genas, & tempora nudus
Incedis. Tamen hunc te excepit Roma, profanas
Euertentem aras; cultus, ac Templa nouantem,
Celſa reclinantem; rerum inter fluxa, perennes

Fun-

Fundantem ſedes, atque immortalia Regna.
At Tuba per gentes latè, prænuntia vitæ,
Ediderat ſonitum intereà, populosq. repleràt
Ingenti crepitu, & diuino pectora pulſu.
Sic Romana tibi fuit intrà mœnia præſto
Europæ, atque Aſiæ Doctor; Vas grande ſupernè
Manantum Charitum: Vox imperterrita: Præco
Sydereus, tecum pariter ſub fine laborum
Supremo, hanc decorans Vrbem ſtatione bienni.
Ille olim captusq. oculis, cœleſtia vidit
Arcana; & deiectus humi, atque in tertia raptus
Aſtrorum ſpatia, immenſo decoratus honore
Regreditur; vigili terras & lumine luſtrat,
Nùnc placidus, nùnc exerto ſed fulmine linguæ
Terribilis. Non alta illum, non hiſcere contrà
Audent ima ſoli, radiat dùm fulgure diuo.
Verùm humilis, ſupplexq., viam quà monſtrat Olympi,
Circumiens; cineri, atque fimo ſe vilius optat
Poſthabitum; gaudet plagis, it verbera contrà,
Et lapides; flagris vltrò nùnc obuius, & nùnc
Feſſus, inops rerum, per littora ſola, per arua
It profugus; nùnc per patulam ſublimè feneſtram
Pendulus, abrupto pelagi nùnc æquore geſtit
Naufragus. Et ſi quas vi tempeſtatis ad oras
Eijcitur; fontes aperit ſitientibus agris,
Tabificos curat languores; VIRGINE natum
Seruatorem hominum tàm pleno nunciat ore,
Trans mare longinquas vt vox penetrabilis aures
Contingat. Melite hæc dudùm miranda recenſet
Prodigia, horriferis Melite famoſa Chelydris
Olim; Vipereo ſed PAVLI dextera vixdùm

Singula, quæ de Melitenſibus PAVLI Apoſtoli prodigijs hìc delibantur, partim extant, partim ab incolis accipiūtur indubia fide vetuſtæ narrationis. Nàm ipſam

 Dente

Inſulam millium paſſuum circiter ſexagenũ, cõtinẽs, & contrectabile D. PAVLI miraculũ iure dixerimus.

Dente laceſſita indoluit; ſæuire dolorem
Hunc vltrà vetuit vulgò; & benefacta rependens
Pro morſu, propè deſertam, ſæuàq. Draconum
Peſte laborantem regionem clade leuauit;
Æternùmq. locis hìnc, atque hìnc virus abegit.
Nulla venenatis iniuria, ſiue Ceraſtis,
Siue herbis poſthàc: Aconito iniuria nulla eſt.
Quin curuo terram proſcindens vomere arator,
Fulgureos ſerpentum oculos, lapideſcere fuluo
Quos fert auro ætas, denteſq., & grandia rupto
Effodit oſſa ſolo; quæ protinus, ipſaq. Tellus,
Excutiunt morbos venis infuſa rigentes:
Certa vel incuſſo (mirum) medicamina letho.
Par fuerat ſedenim, populos qui nectare Cœli
Ambroſio paſcit, terris pepuliſſe venena.
Hunc tamen errantemq. locis, atque omnium egentem
Pauperies, iàm non turpis, ſed pulchrior omni,
Ditior & gaza, comitatur ſub duce Amore
Funera per medium, quæ propter plurima amatum
Suſcepit Nomen, quod & omnia nomina ſuprà eſt.
Nomen, quod calamo, & lingua creberrimus vrget
Cordibus inſerere, vſque regit dùm ſpiritus artus.
Quin, ſecta irriguo ceruix dùm prata cruore,
Puro, & lacte beat; Ter nomen frigida amatum
Lingua, ter inſiliens cecinit caput. O, mihi fas ſit
Sanguine conſpergi vndanti, quo tactus & ipſe
Percuſſor, potuit Chriſti inclareſcere miles.

Tres D. PAVLI Fontes, lacteum humorem manifeſtò ſapiunt; minus à primo alteri.

Quod poſſum tamen, ad triplices me ſemita lymphas
Ducat; quandoquidem eſt virtus certiſſima lymphis.
Lacteus ipſe infans Amor, irrequieta volatu
Membra mouens, ſitit; ipſe ſuo tener vritur igne:

Immer-

Immergat triplici lactentia FONTE labella,
TERNO è FONTE aperit nàmq. vbera lactea Tellus.
Salue ò Saule, Heros Tharſenſis; vox tua digno,
Quippe triumphalis, fuerat ſacranda Theatro.
Talis adeſt Campo ſpecies, vbi meta petita eſt
Ambobus; Roma ambobus diuerſa Theatrum
Exhibet; in pugnam tales prodiſtis & ambo
Carceribus; Veluti cùm proripuere Quadrigæ
Incita multijugo ſeſe in certamina curſu.
Et tua conſorti gaudentia vincula PETRO,
Nonniſi Tarpeiam rupem, quæ ſola triumphis
Trita, cauosq. ſinus Capitoli inuicta decebant.
Ille diu grauidus tot Martis honoribus, ille
Parturijt Mons ingentem ſine more triumphum;
Parturijt geminas, quæ tangunt Sydera, Palmas:
Palmas, queis meritò celebrata ſuperbit Idume.
Quale fuit, geminos de carcere Mamertino
Inſpectare Duces, Herebòq., aſtrisq. potentes,
Per fora traductos media, & quà Curia ſurgit,
Quà deluſa ipſis Delubra inimica Deorum,
Inceſſu placidos, Fidei primordia, celſum
Relligionis opus, ſacro ſata ſanguine Chriſti
Semina, condentes proprio irroranda cruore?
O, mihi quis PAVLI è gladio det habere Coronam?
Quis PETRI è clauis fixas Diademate gemmas?
Saluete, ò decus, ò noſtrum. Iam nùnc caput Orbis
Per vos Roma ſedens ſolio Regina verendo,
Priſcas temnit opes. Nàm quæ mox Purpura, quæ mox
Succeſſit veteri Maieſtas? Ardua Cœlum
Contingit; Cœli interpres; fidiſſima cuſtos
Depoſiti immenſi, ſacrorumq. arbitra; Regum

PETRVS ecciſus eſt ad Neronis Circũ. PAVLVS ad Aquas Saluias; vbi ipſa loci natura Theatrũ refert. Ad necẽ ſunt educti è viſceribus Capitolij.

S. Io. Chryſoſtomi dictum.

Edomitrix, Heroum altrix; amor ætheris alti,
Cocytiq. metus; Statio benè fida ſalutis,
Oraclum populorum, æqui iuſtiſſima ſedes;
Vrbs,quæ vnà imperium,atque animos exæquat Olympo.
Nùnc, ea quandoquidem veſtra eſt,& qui regit vrbem
VRBANVS Pater, in veſtros effuſus honores;
Auſoniam quæſo Patriam, Auſoniumq. Parentem
Et ſeruate diu, & tutela efferte perenni.
Ille vbi conſpexit primùm, ſe munere veſtro
Paſtorem accitum Gregis, & ſublimè per auras
Sublatum famulantum humeris; qua luce Thaborem
Conſcendens,nituit Chriſtus fulgore niuali,
(Nâm lux anterior niueo illuſtrarat honore
Exquilias) Vaticani noua gloria montis,
Adſtitit hìc, niue conſpicuos circumdatus artus;
Conuertitq. in veſtra ſuas veſtigia plantas,
Ipſi quas poſito vel Reges poplite lambunt.
Hìc veſtrum in fœdus iurauit, ſupplice voto
Terque, quaterque rogans, geſtis vt veſtra referret,
Si fas, acta ſuis, veſtriq. ſimillimus eſſet,
Iàmq. opibus fultum imperium, cum laude teneret.
Inde viro illuxit pietas, & gratia morum,
Flexanimusq. vigor, vis quæque per ardua fortis,
Ardens ingenium, generoſa, & viuida virtus;
Cura vigil, graue conſilium, mens prouida, rectus
Iuris honor, iugisq. labor; Sapientia, & auſus;
Maieſtas, & amor; probitas, & norma regendi.
Heù quot diſſidijs, quanto & diſcrimine, Regna
Chriſticolum verti doluit! Germania triſti
Ingemuit bello; Belgarum imperuia campis
Stat ſeges armorum; Mars, & Neptunus inundant
Quos

Quos ſimul. Heſperio, aut Gallo nàm quæ ocia, nàm quæ
Parta quies? Vtrique in amica eſt fœdera miſſus
Purpureus Iuuenis: Mox pacanda alter ad arma
Mittitur. Ipſe ſibi nunquam defletus abundè
Mincius, exhauſto lacrymarum fonte, reſedit.
Quid memorem fractos armis, animisq. Bohemos
Infractos? Noſtrum quid ſigna Heluetica robur,
Heù male diſciſſis inter ſe ſtantia votis?
Quid iurata Aquilam contrà, quidue agmina contrà
Auſtriadas? Lateri en Batauos, tergòq. Britannos
Infenſos. Impacati ſileo arma Sueci,
Hungaricosq. metus, trepidantem & motibus Iſtrum
Inſolitis; Calpenq., tuentem & torua Pyrenen.
Ipſe etiam Getico perculſus corda tumultu
Sarmata, quem tollit virtus, & gloria Martis.
Rhetica nàm ſileo damna, & creberrima gentis
Damna Subalpinæ, atque tuos, Inſubria, fletus;
Palloresq., atramq. famem, & ieiunia dira,
Tabentemq. luem, contactu & noxia fata;
Quæ trans, quæ Eridanum citrà, Venetùmq. per oras,
Et quà ſe Rubico, quà ſe pulcherrimus Auſer
Inuehit, atque Arnus pelago; quà Felſina ſurgit,
Et quàcumq. locis varius patet accola; ab imis
Alpibus ad laticem Tiberinum; ab littoris oris
Inferi, ad extremas ſuperi oras æquoris; omnem
Oenotriæ implerunt, ſeruato haud limite, tractum.
Vulgò etiam formido fuit, ne culta manerent
Itala Gothorum rabidos paſtura maniplos.
Vndique perſonuere Tubæ, raucoq́. boatu
Claſſica concrepuere; Vrbes cuſtodia cinxit.
At non lethæos potuit cuſtodia morbos,

Ler-

Lernæamq. arcere luem . Graſſante veneno
Per populos, cecidere atro tot millia letho,
Millia quot Syluæ foliorum, aut ſydere guttas
Demittunt hyberno Hyades, vbi Aquarius ingens
Sufficiat pluuialem Vrnam . Quin funera gentis
Qui poſſit numerare Italæ, numerabit & vndas
Ille mari in medio, & bibulas in littore arenas.
Dùmq.ſuis Regio anguſtum foret ampla ſepulchrum;
Et, poterant viuos modò quot nutrire, nec ipſæ
Poſſent extinctos Terræ iàm ferre; Latinis
Abſtinuit Libitina manum committere campis.
Tibris ſola fuit requies, & meta malorum.
Hàc lymphata tenus, ripa merſata ſalubri
Conſtitit eluuies, deferbuit ira; nec vltrà
Sæuitum eſt. Quin à tergo pulcherrima rerum
Parthenope, noſtro tuta & munimine, fœlix
Heu nimiùm poterat, nimiùmq. beata videri;
Ni rabidi ignitos vomitus experta Veſeui
Ponè foret, longè attonitum iaculata per Orbem
Funebres cineres, tremebundi oſtenta furoris.
Nobiſcum Natura modò, & Pax fędera ſanxit.
Conticuere Tubæ, raucos preſſere boatus
Timpana; fertilibusq. vagata eſt Copia Terris
Omnigeno cornu. Vinetis Bacchus, & aruis
Debacchata Ceres; capiunt vix horrea meſſes.
Non atrata nurus infecit funere veſtis;
Non hìc pompa frequens funalia duxit; amatum
Nec ſponſi nomen, nec nati, exercuit ora
Materna, aut innupta, & lamentabile carmen.
Muneris id veſtri totum eſt; Vos ſydera iniqua
Vertitis en aliò; & clades depellitis vltrò

Vltrà Romanam ditionem, bello, peſtilentia, & fame; Citrà eamdem, Veſuuij montis terroribus, tota conflictata eſt Italia.

Ab

Ab Latio; Latijq. Parentem commoda obire
Noſtra datis, ſeſeq. parem dare robore magnis
Conſilijs; externa mares & cuncta refertis
In curas. Hæc vos, & per vos Numen amicum
VIRGO decus Cœli, niueæ cui thura beata
Fumant Exquiliæ, atque aras donaria complent.
Ergò, nàmque Tholò, & thalamo ſublimè peracto,
Illa fuit PAVLO primus labor: Haud minus ipſi
VRBANO princeps, & maxima cura fuiſtis.
Ille quidem, Latia cernens ditione ſalutem
Seruari, indè ſuis aliena laboribus arua
Pace ſeri, & meliore frui regna extera cultu
(Nàmq. ea cura coquit); Tantorumq. obice nullo,
Et reus, & compos votorum; Nil, niſi veſtrum
Cogitat in decus; Et Templo, quo non videt vllum
Siue Italis, ſiue Externis auguſtius oris,
Noſtra, Patrumq., atauùmq. ætas, & priſca Vetuſtas,
Succedit medio; Hìc toto in vos pectore verſus,
Queis ſuprà, gemino ceu cardine, vertitur omnis
Chriſtiadum moles, vobiſq. innititur omnis,
Ceu geminis circùm acta polis; Cœleſtia mente
Concipit; attentatq. manu terreſtria buſta:
Interiora ſolo quæ ANACLETVS condidit alto
In veſtri monumentum obitus, quà prodijt ortus;
Nàm quæ ſumma dies, æterni eſt Lucifer æui.
Antè immane ſolum fuerat, crebràq. Neronis
Cæde profanatum horrebat, ſemperq. cruentum.
Per vos dira loco pulſa eſt infamia ſedis.
Nàmq. furens animi fœdus mirmillo, Theatri
Dedecus Auſonij, & ſceptro ſucceſſor auito
Æternum opprobrium; ſuccenſa protinus Vrbe

Exquilinam VIRGINEM Vrbis Tutela vt Paulus V. Pont. magnificè ornauerat, Vaticani Principes VRBANO Pont. exornãdi fuerunt.

Bac-

Bacchatur ; Solesq. nouem tecta ardua paſtis
Exultat flammis, nitidòq. extinguere Romam
Igne parat. Tùm quas lambunt incendia moles,
Cæca ruunt ; Linguis hoc ille voracibus Vrbi
Acrior inſultat, quò perfidus aure maligna
Exhaurit gemitus miſerorum, & triſtia planctu
Prodita fata inhiat. Flamma eſt ſitis aucta cruoris.
Tùm ſuper Exquilias Turri ſpeculatus ab alta
Indignum excidium, Vulcania funera, ſedes
Lapſantes, tecta horriſonùm plangentia : gaudens
Expleriq. animum neſcit, Tragicosq. boatus
Intentat ludo ; & Cythara mitratus eburna
Perſonat Iliacos caſus, & Pergamon ingens.
Talia ſacrilegus ciet ad ſpectacula, longùm
Execranda, oculos terrarum, & lumina Cœli.
Compita prætereà ciuili ſternere clade
Cogitat, & caueis frendentum emiſſa Ferarum
Millia, in elapſos flammis agitare Quirites.
Sed monſtro fuerat non bellua ſæuior illo,
Obuia quæ exciperet nil tàm furiale merentes.
At tanto commoti auſu Populusq., Patresq.,
Auctorem ſceleris damnati ad iuſta repoſcunt
Supplicia ; id fora conclamant, id fumida Templa,
Mœniaq., ambuſtis & hiantia culmina pinnis.
Diſſimulat diuerſa diu, & vix orſa tuetur
Effera. Proripuit tandem, & præfatus amorem
Romulidas propter vigilem, mendacia vulgò
Iactat in inſontes, verbisq. edicit amaris
Chriſtiadas ſcelerisq. reos, & deuouet Orco
Legum euerſores, turbantesq. omnia furto,
Pendentis nuper ligno raptoris alumnos.

Tùm

Tùm dolor exarſit furijs, ſubit incita magno
Cùm fremitu rabies; Chriſti & noua germina ſuadet
Vellere humo, ſegetemq. manu exturbare nocentem.
Quæſitor gladium ſtringit Nero. Funera Circo
Immerita educuntur; Non vna eſt mortis imago.
Sæuitur ferro, atque Feris, ſæuitur & igne.
Primùm ſanguineis hìc eſt agitata procellis
In pelago irarum tua, PETRE, interrita Puppis.
Heu dirum ſcelus; horrifica ſtant Ludicra cæde;
Sæuitiem irritat Pietas: riſumq., iocumq.
Exercet laniena ferox; Et ſanguine puro
Alluit Euripus ſceleratam impurus arenam.
Spectandi ſtudio concurritur. Occupat omnem
Conſeſſus Caueam; infandum noctesq., diesq.
Continuatur opus. Talis væcordia pubem
Detinet inſomnem; feritas dùm cœca tenebras
Excutiens, auget. Non hæc funalibus actis
Noctem arcet, ſed viua virùm pice corpora pingui
Imbuit infundens. En quo fera vulnera mulcet
Vnguento. Exin, diſpoſitis per crebra tigillis
Interualla, apices religat ſuſpenſa per altos.
Paulatimq. igni inflammans, diffundere terris
Dat lucem, illuſtreſq. animas effundere Cœlo.
Ardua ſic Virtus, alienæ haud indiga lucis,
Digna fuit modò viſa ſua clareſcere luce.
Barbara non alio potuit fulgere paratu
Clarior impietas; Non & victricia Chriſti
Primùm alijs decuit facibus rutilare Trophæa.
Ergò infame ſolum, generoſis tritа palæſtra
Per ſcelus athletis, rabidi poſt fata Neronis,
Cultus in veſtros ANACLETO rite ſacratum eſt.

Iàm Capitolina prodiſtis rupe, Triumphis
Quæ meta vna fuit; cineri nùnc debita veſtro
Planicies, olim ducendis lecta Triumphis.

Campus triũphalis hic eſt.

Nec tantum celebri Campo largitur honorem
Romula quadrijugo gradiens Victoria Curru,
Quantum funereo tumulata hæc oſſa Sepulchro.
Nec radiat tantus medio Sol igneus axe,
Quanta fluit cinere, & cæcis lux dia cauernis.
Tempeſtas quin omne ſequax impunè Theatrum
Diruit; at Tumulo extanti, vel ſæua, pepercit.
SYLVESTRO donec ſacrorum Præſule, Magnus
Hàc ſubijt CONSTANTINVS; Non ille relatis

Ità aſſeuerat in ſuo opere de ſeptem Eccleſiis, poſtremus omnium Seueranus.

Mezenti trucis exuuijs, Capitolia ad alta
Egerat aſſueto pompam ſublimis honore;
Sed Vaticano victor ſub Colle, ſupinas
Conſtiterat cùm voce manus ad ſydera tendens;
Et geminùm monumenta Ducum veneratus, eodem,
Quo iàm Tarpeias Aquilas prodire dabatur,
Stare iubens Campo, CRVCIS & victricia Signa
Auſpicio regnis ſtatuens adhibenda futuris,
Cœca triumphali decorarat marmora pompa.

Pulchrè hic locus erat Cõſtantini lepra ob dilatũ toto hoc tempore Baptiſmũ, & balneo ex infantium cruore apparato; viſione ſimul Apoſtolorum, ſalutari Lauacro, & alijs, quæ pluri ma, breuitatis gratia omittuntur hoc toto carmine, licet ad eius

Poſt vbi Sol duodena Orbes circùm aſtra recurſum
Egiſſet totidem, cœleſtes faſſus amores,
Perſoluitq. Deo grates, ſumptoq. bidente
Sacratam effodiens Tellurem, hìc Templa locauit
Immenſa, & centum immenſis auguſta Columnis.
Munera quin etiam ſuperaddit, iugera opimi
Magna ſoli, cenſumq., argenti pondera, & auri.
Templa nouo cultu poſtremum inſtaurat IVLVS,
Alter qui à primo, non vlli eſt laude ſecundus.
Et poſtquàm mirando operi, centum amplius annos

Arti-

Artificum accelerata manus, properatus & ipſis
Principibus ſumptus dedit, atque induſtria finem;

ſplendorem peropportunè facientia.

Tùm Pater antiquo ritu, & quo more ſacrarat
SYLVESTER primùm, ſub luce VRBANVS eadem,
Ternis, atque decem ſæclis, ternisq., decemq.
Elapſis annis, iterum inſtaurata dicauit.

An. ſal. 313. S. SYLVESTER ſacrauit Vaticanã Aedem. Rurſum, elapſo milleno, & none cõfecto curſu 313. annorum, Anniuerſario die ſacrauit VRBANVS Põt. VIII.

Nec requies, animisq. modus; Scrutatur inhærens
Abdita Terrarum Pietas. Nàm, ſiquid ab imo
Exeſum, reficit; rimas operoſa labantes
Confirmat; latera, & tenues compaginat arcus.
Sic demùm VRBANO ſub Principe grandia buſta
Ambit opus firmum, & ſolidat penetralia cœca;
Fundamenta nouat; Conclauia fulcit; vbique
Conſulitur; quadro denſatur marmore fornix.
Quippe datum eſt cineri Templum, & Teſtudo ſuperbit
Ob Tumulum, ſeruitq. humili obſequioſa latebræ.
Ergò hæc in medio ARA ſolo, & Teſtudine fulgens
Ardua ſub media, Tumulòq. impoſta ſupernè,
Scilicet ipſa opus eſt operum; meritoq. labore
Ornatum ingentem, & ſibi ſuſtentacula poſcit;
Hìnc validis meritò ſub terram eſt niſibus itum.
Sæpè equidem dixi, teritur defoſſa ligone
Dùm rigido Tellus; animoſa abſiſte iuuentus;
Nàmq. haud Theſaurus mortalis; Munera Olympi
Seruat humus; Violare nefas; Sunt agmina, ſunt hìc

Nàm fundamenta plus nimio alta agi videbãtur, cui tanta futura moles ignorabatur.

Excubiæ Superùm; Quantò penetratis ad Ima
Inferius, tantò propiora acceditis Aſtra.
Hæc ego; Sed quamquàm horror init, tenebroſaq. circum
Terrent clauſtra; cauis tamen ardent corda cauernis:
Stat rupiſſe ſolum, & cuneos ſolidare latentes,
Arx tentata Poli quibus obſidione tenetur.

C ij Sci-

Scilicet hic labor eſt, cineres munire beatos,
Subſidiumq. aptare locis, atque addere robur
Parietibus, caueisq.; vt poſſint ordine pulchro
Congeriem æratam, pondusq. immane, Columnas
Tortilibus flexas ſulcis, ſparſasq. tenellis
Inter bracteolas pueris, Apibusq. referre.
Nexasq. ære trabes, fuluumq. ex ære lacunar,
Ætherio radiatum auro, & fulgore Columbæ,
Quodque manus phrygio prætexit dædala cultu
Ditatum largè, & Cœli iàm parte refertum:
Pendentesq. ſinus, fluitat quà fimbria circùm,
Deſuper & pueros, inſignia nota gerentes:
Tùm ſuper impoſitas moles, & molibus altis
Pægmate diſpoſitis quadrato, extollere in auras
Splendida Cælituum ſimulacra extantibus alis,
Ore palàm ſonitus viuo meditata ſalubres.
Necnon victrices, ſublimia germina, Palmas,
Victrices paſſim Lauros, monimenta triumphi;
Quadrifidosq. apices, vbi ſe curuata ſupinant
Culmina, contorto coeuntes vertice, quantum
Planicie poſſint, abrupti turbinis inſtar
Impendente, Crucem ſinuoſis flexibus actam,
Atque Globo ſuper, atque Apibus per mutua nexis,
Oſtentare ſolo, inde apſam præfigere Cœlo.
Hæc illa eſt nimirum Aedes, renouataq. ab illa,
Cuius ab ignotis venerata eſt limina terris
Haud numeranda manus Regum, ſoluitq. tributa,
Regnaq. ſubiecit donum. Pars, auſpice PETRO,
Ante aras optata petit diademata fronti.
Pars famulata Deo, rutilam diademate frontem
Nudant, & rigido accincti luctamine, vitam
Inno-

[a] Innocuam Clauſtris addicunt, plurima Templum
Quæ ſtabant circùm. Rex, ſeu Regina, peroſi
Luxum, aduentabant: ſepta hæc, ſiue illa ſubibant.
[b] Quot veniunt vno peregrini ab littore Reges,
Linquentes Thulen? hoc arſit Oſuuius æſtu,
Cnutus, Etelſtanusq., Odoardus, Cedual, Ina,
Richardusq., alijque. Simul patria arua Britanno,
Arua Calædonio linquuntur: ab Orbe Sicamber
Venit Hyperboreo, & Scythicus iàm non ſatur acto
Europæus equo: pompam duxere frequentem
Saxones, & Morini. Rheno Tiberina fluenta
Supplex antètulit Boius; Deſcendit ab Iſtro
Dacus, & effuſi ſacræ dant oſcula Terræ.
[c] Colchida deſeruere alij: Bizantidos oræ
Sæpè iubent alij longinquas comminus arces
Hanc Fidei venerari Arcem. Veneratur & Hoſtis
Vandalicus. Theodora furens hanc excipit Ædem,
[d] Hanc & Alaricus, dùm ſingula vaſtat; Et ipſe
Mœnibus inſultans Romanis Tothila; Tuq. ò,
Longobarde ferox, cædem qui, & vincla minaris
Romulidis. Frendens legio nàm Ciuibus inſtat
Direptura domos, altèq. hauſtura cruorem.
Sed, mare ceu tumidum prætento lumine placant
Conſpecti Oebalidæ gemini, cùm Caſtore Pollux;
Continuò & peſtem feſſis à nauibus arcent;
Tùm trepidi voces iactant ad ſydera nautæ,
Et plauſu ingeminant grates, orantq́. ſalutem;
Haud aliter truculenta Phalanx, & clade futura
Effera, concuſſam excierat rumoribus Vrbem
Vndantem horrificis, & iàm vicina gementem
Excidia; Aſt vbi conuerſis occurrit vterq.

Men-

a Complura circà Aedem Clauſtra, religioſos viros, & fœminas continebant. Quibus vtrūque genus regale ſe addixit.

b Inter Reges numerantur è diuerſis Regionibus, Cedual, Cebēredus, Offa, Huno, Ina, Rachis; Inter regales fœminas, Eadburga, Vuitburga, Agnes Imperatrix, & aliæ nō paucæ.

c Nō temerè, aut fortuitò recenſentur hæc locorum nomina, & Regum, quorū eſt ſingillatim præclara Hyſteria, Vaticani Tēpli cultum, ac venerationem reſpiciens.

d Hæc, & his ampliora, ſingula ex Annalium fide. Alaricus Gothorum Rex: Vuandali: itorum poſt centū annos Gothi, in Vrbis direptione, SS. Apoſtolorum Baſilicas omni iniuria prohibuerunt, ſi qui eò confugiſſent, ne-

minem lædi: ſi quid inde ablatū foret, eòdem omnia cõperiri, Edicto iuſſerunt. Id quod ſolemni militũ pompa factũ eſt. Vaſis quibuſque precioſiſſimis in hoc Templum publicè rependis. Theodoru Auguſtu, præcipiens, ad ſe Vigiliũ Pont. abduci captiuum, hūc modò perfugij locum excepit.

Mentibus irradians Heros, quorum oſſa quieſcunt
Hoc tumulata ſolo (neque enim trux Atthila quondam
Suſtinuiſſe iubar, nec flammas ore minaces
Quiuerat); Extemplò pauidi poſuere tumultus;
Inſtaurati animi, & plauſu reſonantia Templi
Concaua. Tùm grates puro canit ore Sacerdos,
Et lætæ matres, & ouantes voce Quirites.
Ipſe Luitprandus, proiecto ſtemmate Regni,
Et ſceptro, & pariter gladio, ſubmiſſus ad Aram
Exuit auratam Clamydem, & regalia pronus
Inuictis Ducibus ſacrans inſignia, pacem
Largitur, pacem ipſe orat; mentemq. ſuperbam
Flexus, humi madet acclinis, ſurgitq.Sepulchro
A diuo rediuiuus, opèq., animiſq. refectus.

Nàm poſt decennium, ſtatum vaſtaturus acceſſit. Cæterùm, de omnibus Templi huius violatoribus palàm à Deo ſumptū ſupplicium, hyſtoriæ teſtantur.

Fœlix, exuerit ſi nullo hanc tempore mentem.
Sed non vlla frequens magis, aut reuerentior, Vrbi
Tranſmittit Regio Reges præclara videndos,
Relligione Patrum, & propria virtute decoros,
Inclyta quàm pietate olim, deuotaq. ſacris
Anglia. Proh lacrymæ, proh & dolor! Inſula MAGNO
GREGORIO pridem ſtudijs quæſita ſupremis;
Incrementum operis Chriſti, Fideiq. Latinæ
Propugnaclum ingens, tanto ſpes digna Parente;
Heu vilem ob curam, proprij correpta furoris
Turbine, concepit lethum; deuictaq. morbo
Ipſa ſuo, penè eſt demerſa, extinctaq. penè eſt
Exitio (infandum); ceſſitq. furentibus Annæ
Inceſtæ facibus, fax ipſa, plagæq. oriens lux
Occiduæ: Extinctum Oceano & quæ proxima Solem
Mergit Atlantæo, funeſta incendia latè
Protulit: heu miſera Auſonijs ſpectacula terris:

Equè

Eque ſuis falſum damnis tenebroſa nitorem
Excitat. Ah lacrymis noſtris modus; ah modus ex te
Sit flammis miſeranda tuis; Veſtigia retrò
Quin relegis ſeruata? Quid ò, Romana moraris
Gaudia, Romanis olim vt mora longa maniplis?
Quin noſtros iterum, atque iterum generoſa precaris
Amplexus? dolor ah Matris, lacrymæq́. Parentis.
Inſula bellipotens, quondam dilecta propago
Chriſtiferæ Sponſæ; tu noſtri terminus Orbis,
Tu decus Europæ, Solis tu ſola cubile:
Ne tenebris aſſueſce; tuus tibi limina PETRVS
Pandit adhùc; Tantùm ò libeat tibi lumine PETRI
Perfundi, atque orare Ducem, veniamq́. precari,
Nec centum totos expleſſe erroribus annos
Iactatam pelago, tumidos contemnere fluctus
Cùm valeas. Age clariſonæ virtutis alumna,
Prole virùm fœlix, melioribus vtere tandem
Conſilijs. Dudùm Henrici, dudùm effera Eliſæ
Orſa luis. Reſtincta ſatis ſit ſanguine tanto
Flamma ferox; cinere ipſa tuo renouabere; Tantùm
Pœniteat geſtorum, auidam emerſiſſe periclo.
Aſpice, neſcio quid ſoboles diuerſa ſerenum
Arridet, fors antiquas exoſa procellas;
Mitius ingenium, mutata & Prolis origo
Omina finitimis portendit candida ab oris.
Sic noua Regali conſurgant germina virga:
Sic precor, illa manus, quæ clauum dirigit, Arctos
Romuleas ſeruet curſu, non æquore mergi
Arctos Oceani metuentes, clara ſed alto
Sydera in Oceano, & nigra fulgentia nocte.
Illa manus, ſacra cupidè quæ poſcit ab Vrbe

Et

Nàm Roma ab exteris, ſæpe Regio nomine conquiruntur tabulæ illuſtrium Pictorum, Statuæ, & Monumenta operis antiqui.

Et tabulas operis mirandi, & ſigna laboris
Inſculpti; Simul ò, tabulas depoſcat, ab vndis
Naufraga quæ ſeruent populorum examina, veræ &
Cordibus inſculptos Matris conquirat amores;
Diuini Simulacra Magiſtri, & ſigna ſalutis.
Non tamen Heſperio Pietas, non anxia Gallo
Defuit. Ille diu titulos, & nomina PETRI
Inſcripſit Regnis; Hic PETRI ad limina Reges
Exhibuit. Comitatu ingenti CAROLVS ingens
Ter, quater almum aſſueuit iter. Vix culmine ſummo
Proſpexit ſacrum longè extrà mœnia Templum
Reiecto pedes ibat equo. Vix Limina campo,
Proſpexit medio, deiecto cernuus ore
Suſpirat, flexòq genu, procul ardua ſeruat
Atria; Marmoreosq. vbi ventum, non pede preſſos
Ille audet temerare gradus; ſed poplite calcat
Alterno: Turba, & circùm plaudente Quiritum,
Limina qui Regno clarus ſubit, inde recedit
Clarus & Imperio. Conuerſo hìnc cardine rerum,
Helleſpontiacas attollit Sequana Laurus;
Hinc & Cæſareos faſces, Latiasq. ſecures,
Indigenas meritò, generoſi voce LEONIS,
Eſſe iubet PETRVS nil tale vouentibus antehàc
Alpibus, Auguſtamq́. Aquilam ſe iungere Gallo.
Paupere ſic PETRVS cultu progreſſus ad Vrbem,
Dat Trabeas, adimitq.; Eius Romana pependit
Ales ab auſpicijs, eius quæ Oriente ſub ipſo
Fida diu implorauit opem, grateſq. rependit,
Vngue domum referens victricia ſigna cruento.
Ipſe cathenatos Tunetani effringere poſtes
Promeritus Nuper Regni, Laus Maxima gentis

Hiſpaniæ Regna, antequã ad Saracenos deuoluerẽtur, à pijs Regibus Gothis B. PETRO donata ſunt. Idem de ſuis Regnis Angli, Saxones vtrique, & alij multi tranſegerunt.

Poſt Romani Imperij diuiſionẽ diu inſignis extitit pietas, & cultus Orientalium Imperatorum ergà Ædem Sancti

CAROLVS Auſtriacæ; inde redux, Tibi, diue, Trophæum
Cœlipotens, vectesq. ſacrat, victasq. cathenas,
Regnorum & Claues; reſeras qui Clauibus aſtra.
Quid facti, infectiuè argenti, auriq. talenta
Sacrantes Heroas, & eloquar Heroinas?

PETRI; vndè inaugurantes bella, & auſpicati victorias, eàdem vota, & munera perſoluenda tranſmittebant.

Nec te prætereo, priſcæ noua gloria Mantus,
Italidum decus, haud titulis æquabilis vllis,
Inclyta MATHYLDE, pietate interrita, & armis.
Quæ nullo, niſi magnanimæ virtutis amore
Fœmineos incenſa animos, nil anxia prolis,
Cœlibe ſub vita: pariter Cęleſtia facta
Mente agitas, implesq. opere; ac ditione profuſa
Ingenti, Auſonijs gaudes tua nomina Faſtis
Inſcribi; & tantum agnoſcens generoſa Parentem,
(Proh decus emeritum!) Sancis Patrimonia PETRO.

Quid loquar ad Templum properantes agmine multo
Graiugenas dudum? Feſta quid luce quotannis
Hanc varias cultu, varias & moribus Ædem
Complentes referam diuerſo ex Orbe Cateruas?
Multùm hæc Arctois, multùm laus debita Eois,
Debita & Heſperijs. Nec verò has Aduena valuas
Aduentu primo ſuetus penetrare; ſed ante
Veſtibulum geminare preces; tùm luce ſequaci
Templa ineunt. HInc mos pergendi ad LImina dictus.
Famaq. vulgabat, per cœca ſilentia noctis
Cœlitibus Sanctum affuſis rutilare Theatrum;
Fulgidaq. adſuetas in longum ducere pompas
Agmina, tàm ſpatio in medio, quàm Altaria circùm.
Atque ea relligio ſedis, probitasq. Colentum,
Vt ſolo famulantum Aedi ſurgentia iuſſu,
Languida ſe extulerint membra; Et nùnc aurea ſacro

Fuit & illuſtris Græcorũ omnium pietas ergà Sanctiſſimos Romæ Principes.

Honorificũ eſt Regibus, adſcribi Canonicorum cœtui Baſilicæ Vaticanæ. Inter quos poſtremi memorantur, Carolus V. Imperator, & hodiernus Poloniæ, ac Sueciæ Rex Vladiſlaus Sigiſmũdus.

Templa miniſterio, ſi quando ad Romula Reges
Mœnia deuenere, frequentant; Syrmate primùm
Depoſito, ſumptàq. toga; tabulisq. reponi
Nomina curantes, læti demum Vrbe recedunt.
Verùm, atra ſub nocte, ſubit quæ infenſa tenebris
Solis ad Occaſum Æterni; Funalia latos
Illuſtrant calles; tota hùc concurritur Vrbe;
Seu toto cernas hùc veriùs Orbe ruentes
Chriſticolas; & opem miſeris poſcentia rebus
Agmina Funigerùm, & ſua verbere membra domantum
Sanguineo. Nota eſt pietas; ſed noſcere non eſt
Ora, manusq. virùm, duris quæ noxia flagris
Flagitia expendunt, gemituq. piacula poſcunt.

Tria hæc Diuinæ Charitatis ſymbola, frequenti populo ſtatis diebus ſæpius oſtenduntur.

Se cuncti ſtrauere: obtutus deſuper almos
CRVX reficit; veniæ optatam tùm LANCEA venam
Recludit; recreant dia ſub imagine VVLTVS
Vnigenæ: admiranda ipſi ſpectacula Cœlo.
Hinc genibus ſola trita olim, labijsq. petita
Concurſu ingenti; hìnc nudatis marmora plantis
Ipſa videbantur caua, poplitibusq. piorum.
Quàm meritò adiunxit PAVLVS noua culmina Templo!
Sic vetus VRBANO ſub Principe gloria creuit,
Dùm interiùs curatur opus. Laus ſumma, Sepulchri
Luce Aedem decoraſſe; Ornatum priſca recentem
Poſcebant merita, interitus quæ neſcia: Viuit
Nàm Tumulo, ceu Templum anima: viget abdita centro
Vis, molem intùs alens. Alij, ceu corpore vaſto
Curarint artus. Immenſi corporis id cor.
Magne hominum cuſtos, qui non molitus honores
Oſſibus occiduos, opera immortalia texis;
Ecquid adhùc cineri æternùm manſura theatra;

Aeterna & fluxis ſtatuis Tentoria terris ?
Hìcne quies tàm longa ? neque hac tellure putaſti
HEROAS geminos ſupremum in lumen ituros ?
Quis labor, hos nunquam caſuro ornaſſe Sacello ?
At video, quando his Superùm conſortia inhærent
Sedibus; inſtructàq. via hìnc ſucceditur Aſtris:
Iure incorruptum Thalamum, & longæua quietis
Blandimenta paras; plaudentes vocibus vltrò,
Plaudentes alis Vigiles; vmbracula celſo
Pendula circuitu; Atque ſuo munimine firmam
Stare iubes molem fœlicia clauſtra tuentem,
Theſauros auidè ſeruantem, atque oſſa fouentem
Frigida, relliquias dulces, dulceſq. Parentum
Amplectentem artus. Nil aere perennius: Ergò
Ænea compago ſurgit molimine aheno,
Nulla abolenda die. Sat fulmine tacta, ſuperbos
Arguerit Turris ſonitu confuſa Gigantes;
Hìc ſe demiſit Pietas; Victoria maior
Emergit ſurſum. Natiuo hìnc ceſpite ſurgunt
Frondentes Palmæ; gradibus vicina petuntur
Sydera ſubſtructis; hæc ſunt contermina luci
Fulcra; his Cœlicolæ affines; hàc itur ad axem.
Intereà laudeſq́. canit renouata, tibiq́.
Innumeras reddit grates tua Roma, nec vnquam
Reddiderit dignas, aut te laudarit abundè,
Olli ſit robur licet æneum, & ænea ſit vox.
Nec ſeſe agnoſcit, tanto viget aucta nitore,
Maieſtate potens; nec ſe vetus illa ſibi ipſi
Iàm conferre audet; ſua nec miracula iactat,
Parcior aut iactat, præfertq. recentia priſcis.
Non tibi ſat fuerant & propugnacula paſſim

Quæ afferũtur de Sũmo Põt. VRBANO VIII., oculis expoſita, nulla egent explanatione.

Per terras, paſſim mediam conſtructa per Vrbem;
Et validis inſtructa armis ingentia Septa
Præſidium in noſtrum, numeroſi & roboris arcem,
Prodeat vndè ferox ſubito Mars Milite fretus.
Non detracta ſolo, quæ quondam Conſule Marco
Ærea porticibus pendebant Tigna, ſine vſu
Lurida poſt, & fœda ſitu, ceſſuraq. riuis
Fuſilibus murale in opus; reboantia tandem
Cum tonitru tormenta, & mœnibus apta tuendis.
Quippe vomunt flammas, & belli fulmina, nunquam
Ictibus ambiguis; vincendiq. imprimit omen
Hinc VRBANVS, & inde ſuis Agrippa metallis.
Non ſatis, hæc inter tutamina, milite denſo
Inſediſſe diu fines, Oleamq. cupitam
Excepiſſe armis; Duplicis non Pallados artes
Et geſtare ſinu, & tractare vtrinque paratas.
Quamquam ea mens ſola eſt, populorum pace medelam
Applicuiſſe malis, quæ non mucrone reſidunt
Vulnifico; NAmque eſt firmum Concordia vallum,
REgna virent Olea, PAx murus aheneus ipſa eſt.
Non ſatis & curata Salus, depulſaq. longè
Dira fames, & ſæua Lues; Ni, longa tumultus
Finitimos inter cùm feceris ocia nobis;
Verteris in pluuiam cùm fulgura; Monte Quirini
Regales cultus inſtruxeris, & noua CAIO
Thura tua fument dextra, noua Pallantæo
Thura SEBASTIADÆ, atq. Ædes tota Vrbe frequentes;
ASTRÆAM Cœlo reuocaueris; obſide vt illa,
Iamdudum reſides teneat rubigo Secures;
Nulla intrà muros graſſetur, nullaq. circùm
Sæuities, ſiue vnca manus, ſeu lethifer enſis:

(Quod

(Quod ſæclum decet VRBANVM,ſæclum decet aureum,
Mellifluis animatum Apibus); Poſtquàm agmine pleno
Cycnos excieris Tiberinæ in margine ripæ,
Caſtalidasq. tuam Muſas traduxeris Vrbem,
Et ſeptem in iuga des bifidum conſurgere Pindum;
Per te læta ſuo Polycleto Roma, recentes
Aſpiceret vultus, è duro marmore ductos
Molliter, ora virum viuos ſpirantia mores.
Et ſtudia hæc almæ tandem inter mitia Pacis,
Cerneret ardentes Cœleſtum ex ære Corynthi
Conflatas ſpecies, & dulce loquacia Signa;
Auguſtum & Thalamum, poſitasq. iubente Columnas
Alcide meliore; vllis quas auſibus VLTRA
NON LICET humanos aditum ſperare labores.

Quàm enim Artifici nõ peregrinum eſt opus marmoreum, tàm in ſuo opere peregrinus eſt Artifex.

Magne Pater: verſo niſi per te cardine Cœlum
Clauſum olim, referet fidæ ſua Limina genti;
Ni bifores PETRVS det Ianitor eſſe patentes:
Se rutila & PAVLO reſerarint oſtia iamtùm,
Cùm potuit tantam ire viam vel ſtratus: & Aſtra
Inſiluit, deiectus equo; cùm calcibus actis
Nequidquam in ſtimulum, tamen errabunda fidelem
Noſſe dedit cęcus cęca haud veſtigia metam;
Credo equidem, æratos Cęli ſe inflectere poſtes,
(Pulſa vt murali quondam trabe mœnia cedunt)
Aerea tàm ſolidæ pietatis machina cogat,
Nec ſeſe his gradibus diſiungere poſſit Olympus.

Maxime Pontificum, quem deſudata Myroni
Aera decent, pariterq. decent ſudata Maroni
Carmina; Quandoquidem non eſt qui carmine digno
Concelebret tua facta; operi nùnc adijce tanto
Vnum opus: Ingredere, & tute cane; nàmq.metalla

Te

Te fluxere iubente; fluent nùnc mella canente.
Te Patrem fecit Patriæ tutela, Salusq.
Publica; Te cultusq. noui, & mitiſſima iura
Auguſtum fecere; facit te Muſa Maronem.
Si grauibus potuit curis miſcere Camoenas
Melle fluens LEO, ſi DAMASVS; quod ſacra ſubipſa hac
Marmora teſtantur Latebra; Quid muta cientem,
Ora Senem? Quid fatidici modulamina Regis,
Quid Moyſis referam? Socians cùm Timpana cantu,
Agmine victrici innocuum circumſtetit æquor?
Et tibi ſunt Cytharæ dudùm, tibi plectra, fidesq.
Deſuper. Ipſe adytis Sophiæ, Plataniq. ſub vmbra
Sediſti Graios inter; Tibi culta Lycei
Atria; cùm rorem intereà depaſta roſetis
Terna Apis Actæis, aluearia nectaris almi
Conderet ore tuo; atque ſuam Facundia ſedem
Siſteret ore tuo, fundens gentilia mella.
At tu nectareo Dircen, montesq. pererrans
Aonas eloquio, facilis ſupera ardua cantu
Scandis, Stellatamq. Lyram ſortitus, eburno
Fila moues plectro, & rutilum tranſcendis Olorem,
Admiranda ſonans. An non properaſſe videntur
Cœlicolæ in tua dicta? An non Proceresq., Ducesq.
Iſacidum de gente? Tuo nùnc perſonat ore
Et Moyſes, & quem memoraui, Regius Heros;
Nùnc VATES, REGESQ. alij;&,quod culmen honorum,
REGINAM Superùm ipſe tua das voce canentem
Audiri, Galilæa ſuper montana beatas
Permulcentem auras, Anima dùm feruida tota
Sternit ſeſe humilem in grates, & laudibus effert
MAGNIFICIS Dominum, Dominæ qui ſe abdidit aluo.

Aluo

Aluo Virginea Genitricis, cuius adornat
Luna pedes, cuius Cœlum veſtigia adorat;
Claret inacceſſo famuli quæ Solis amictu;
Quam lecto fulgore Aſtra & duodena coronant.
Nàm ſi Sol veſtit, quidni ſocia Aſtra coronent?
HÆC mihi ſit fandi finis, quæ eſt vna bonorum
Terminus omnigenum; HÆC finis, quæ ſola Salutis
Principium; quæ Fons Charitum, Virtutis Origo,
ARA animata DEI. Iàm nùnc procumbere ad Aram
Mens ardet, tacitæq. offerre ſilentia Muſæ,
Et tacitos ignes, incenſi & cordis amores.
Hìc prece flammata, hìc animis, hìc mente litandum.
Intereà curſu innocuo velit, & pede certo
HÆC eadem, te magnanimum veſtigia Patrum
Tantorum intemerata ſequi; det ſydere amico
Expleuiſſe eadem longos fœliciter annos:
Pandat & emerito aſtra tibi; qui more Parentum
Amborum, Præſes Terrarum, & Clauiger vnà es,
Et Cœli Tubicen; Qui tandem Maximus ille
Vnus es, haudquaquàm cunctatus, at impiger in rem,
ARA his Principibus quo Principe MAXIMA ſurgit.

Quidni coronent ſydera, quam Sol veſtit? S. Bernard. Serm. ſuper c.12. Apoc.

De

De eadem ARA.

HIc fulgent Superi, hìc Coeleſtem tangimus ARAM,
Aſtrorum Octauo fluxile ab Orbe decus.
Laus, VRBANE, tua eſt. Fuluis ſolidata metallis
Hìc radiat, Coelo quæ modò ſydus erat.
Quis non hanc Cœlum meritò vulgauerit Ædem;
Quandoquidem Cœli hùc portio tanta fluit?

De Naui Piſcatoria B. PETRI in ſummo Templi pariete collocata.

DVC IN ALTVM. LVCAE Cap. 5.

O Nauis iactata vndis, ſed neſcia mergi;
Non te ſublimem naufragus error agit.
Fluctibus haud ſummis pendes elata; ſupernè
Non quæ circumſtant flamina, te abripiunt.
Nec iàm tu ſcopulos metuis, quam durior omni
PETRA animat ſcopulo, certaq. librat iter.
Sed mare deſpiciens, Coeloq́. euecta: quod Argo
Ficta refert, vero Sydus honore micas.
Ima aliæ ſulcent, pauidæ diſcriminis. hoc tu
Secura es pelagi, quò magis alta petis.

Ad eamdem.

QVi Clauum regit VRBANVS, te ducit in altum;
Altius & te, quàm tollere ad aſtra, nequit.
Ergo tuum poſthàc aliena haud ſydera curſum
Fida regent; alijs tu modò ſydus eris.

Ad

AD IOANNEM LAVRENTIVM BERNINVM, QVI VRBANI VIII. PONT. MAX.

Vultum, Vim, Maieſtatem, miro artificio è marmore expreſſit.

SCulptor quid hoc? VRBANVS anne Pontifex
Octauus? anne Octauum erit miraculum?
Vtrumq́. cerno. Marmor animatum vices
Refert beatas Principis, vices refert
Qui Chriſtiformes. Duplici oſtentum nota
Anceps, verendum, viuidum, arcanum patet.
Septena cedant. Orbis Vrbem maximam
Miraculorum maximum Romam decet.

Eiuſdem Eximij Principis eximium Simulacrum.

QVid valeat, ſummo Natura in Principe pandit;
Quidq́. Ars, inſculpto Principis ore, docet.
Illa virum fingens, Simulacrum expreſſit Honoris:
Viua viri ſimul hæc & ſimulacra refert.
Ille DEI, hoc opus Artificis. Nos tu, optime Princeps,
Dicto animare potes, hic te animare manu.

De eodem.

SEu memoras Patres, Patrum ſeu Signa recenſes,
Hunc modò Patrem effer, hæc modò ſigna refer.
Ingentes animos, ora & ſpirantia cerne,
Grande ſub auguſto & vertice conſilium.
Marmoreum haud ſignum, ſed dices, Roma, Parentem,
Nouerit & qui te reddere marmoream.

De Statua, & eius Inſpectore.

SPectanti inſinuat ſe ſe lapis; inſcius vltrò
Spectator totum ſe lapidi inſinuat.
Inde trahunt homines, durum genus, vnde rigeſcant;
Inde vnam è multis contrahit ille animam.
Quid me ſpectantem mirum eſt lapideſcere? Quid, quòd
Inſpectus ſe ſe molliat ipſe lapis?

Breuiùs dictum.

VIuidus eſt hoſpes, rigidus lapis. Arte magiſtra,
Hìnc lapis, inde hoſpes, hic viget ille riget.

Quoniam lapideſcere ipſa nequit Vrbanitas: induat Lapis vrbanitatem.

VRbanitatem facere marmoream, diu
Dùm ſcitus ardet Artifex: hæret, manum
Labore fallit irrito inceptus labor.
Nàm quì rigeſcat illa? Age, infit Artifex,
Lapidea nunquam Vrbanitas fiet; vices
Vertantur ergò; fiat vrbanus Lapis.

AD
FRANCISCVM CARDINALEM BARBERINVM,

Cuius prouidentia, in funeſtiſſima Italiæ Lue, ſoſpes Rom. ditio mira fælicitate vſa eſt. Eius ipſius Imaginis donum.

DEbemur tibi nos, vitæ quos munere ſeruas;
Queis per te Italico in funere parta ſalus.
Munera debentur tibi noſtra; ipſum accipe nùnc te;
Maxima te Herois maximi imago decet.
Nàm quid te maius, Virtus quem, & Gloria tollunt,
Et ſobolem agnoſcunt, effigiemq́. ſui?
Sacra tui effigies noſtro hæret pectore, Princeps;
Hæreat illa tua munus habenda manu.

AD
ANTONIVM CARDINALEM BARBERINVM,

CVM VRBINVM PROFICISCERETVR.

O Ingens animis, agitas qui grandia: ſeu te
Auſoniæ fines, ſeu tua Roma tenet.
Auſpicijs pacata tuis viget Itala Tellus,
Permulcent rigidos dùm tua Mella Duces.
Ponè ſequax tibi Fama, comes Sors, præuia Virtus;
Perge, tibi Quercus quà noua mella fluunt.
FRANCISCO ſub fratre abeunt dira omnia; Per vos
Redditur ingenijs gloria, cultus agris.
Fortunati ambo; Fortunatiſſimus at qui
Alciden geminum Cœlifer vrget ATLAS.

AD
VRBANVM VIII.
PONT. MAX.

MElleus eloquio Neſtor ſua fata moratur,
Cui ternum in ſæclum longa ſenecta fluit.
Melle fluis Princeps: Apis vni Terna laborat.
Quælibet, ò, ſæclum ſic tibi pandat Apis.

De eiuſdem Poematibus, dono ad ſe miſſis.

VRBANI Pincerna Iouis dat munus. haberi
Vnde iſtuc potuit tàm benè? nectar erat.

AD EVMDEM PONT. MAX.

Latinè, Græcè, Hetruſcè, pari cùm gloria ſcribentem.

OMnes ingenio mortales Optimus anteis,
Maximus vt præſtas omnibus imperio.
Das, ſceptro, & calamo inſurgens, oracula chartis,
Iura Orbi, humano & maior, vtrinq. nites.
Quin fluit è calamo triplex facundia: vt ora
Terna inſignit Apis, tempora ternus Apex.

PLANE

PLANE ſic res eſt, B. P. (à Te enim principium; tibi deſinit.) Te Principum maximum, Principem litteratorum habemus. Vt ſummus non eſſes hominum Princeps, dignus eras litterarum principatu. Nùnc, Orbem Chriſtianũ moderaris imperio, mortalium mentes inſtruis ingenio. Eoſdem mortales fœcundo Apum melle imbuis ad ſapientiam, Sapientiæ Sole excitas ad iuſtitiam. Nos gregem tuum, Optimus Paſtor, non minus calami, quàm ſceptri virga, dirigis ad virtutem. Quid amplius optaremus? monita ad benè viuendum? ius eſt in nos tuum. Monimenta ad imitandum? tu exemplar es noſtrum. Duplici oraculo nobis gerenda præſcribis. De Quercu Iouem, de Lauru Apollinem ſonas. inde ſagittas oſtendis, hìnc præbes Lyram. Nàm de duplici in te Minerua ſileo: vel, arma differens, tantummodò in olea ſum: quæ tua eſt omnis, nec niſi mellita. Ad ſummum apicem dignitatum hæc fit in te acceſſio, omnium faſtigium diſciplinarum. Vt ſuperni, inferiq. dominatus ſphæra in te cùmprimis recurrit vno: ſic diuinorum, humanorumq́. arcanorum Cyclus, coronamentum eſt modò tuum, tibi vni in ſe redit. Hæ duæ ſpheræ compactiles, ſe inuicem interſecant; & in gemino poteſtatis, ac ſcientiæ polo coeuntes, Orbem conſtituunt, ſub cuius ſydere Vrbana lux, noſtra fœlicitas coaleſcit. An non ſolius eſt tui, palmarum omnium ſingularis, & vniuerſa complexio? Niſi nos tua perſtringat maieſtas regnantis, non eſt, quem potius Oedipum in ſtudiorum ambagibus conſulamus. Ad te vnum priuatim confugiendum erat, niſi omnes ad Te Principem publicè confugeremus: Et qui

nutu

nutu proſpicis omnibus, ſingulis eras proſpecturus eloquio. Hìc me ipſe reprehendo: quaſi non ſingulis abundè proſpicias vel exemplo. Sed tamen tua iſta celſitas, quæ magno eſt litteris compendio ſplendoris, & lucri, nonnulli eſt litteratis intertrimento. Eccui monitori, ac Iudici vtilius, quàm tibi, ſiſteret vnuſquiſque labores ſuos? quò frequentiùs ſua ſcripta deferret, vnde ſalubriùs referret? Fores tuæ, vndantes cohortibus ſtipatorum, ſtipandæ pariter fuerant turba doctorum. Obſequium tibi præſtitum ab Vrbium proceribus, præſtandum omni ratione fuerat à proceribus litterarum. Et tu quidem vtroque emines; nos alterutro ſubſidio caremus, quibus te in noſtrum rudimentum, ac diſciplinam, è re confertim, ac iugiter conuenire non licet. Licet ſanè per te, per tua negocia non item; vtq. liceat omninò plurimum, ex noſtra neceſſitate parum eſt. Oſculamur interim pedes, manum ſuſpicimus; Manum, quæ clareſcit ſcriptione ſua, vtinam iuuaret æquè cenſura noſtra. manum (inquam) cui Cœlum aperienti, minimum eſt, Heliconem aperire, ac Lyceum. Cæterùm te, quem Principatus moles, an culmen, reddit inacceſſum, tua tamen humanitas facit expoſitum. Non facilè Princeps ſæpe conuenitur, ſed facilè conuenitur Vrbanus. Vtcunq. tandem eueniat: in quo cura omnium reſidet nunquam deſes, conueniendi iactura regimine compenſatur: compenſatur adhùc, vt memoraui, monimentorum exemplo. Enimuerò, te nobilioribus quibuſque linguis, & ſoluta, & vincta oratione magnificè perſonantem audimus. Te multiplici Phylologiæ ſuffragio inter ſapientiſſimos renunciatum videmus. Ipſum te iuris arcam, quem eruditionis arcanum: Eumdem ſacrarum litterarum theſaurum, quem ſacri theſauri cuſtodem,

dem, ſuſpicimus. Nullus eſt laudum titulus, quo vel præcipuè non tu lauderis. Maximus ſanè vir, vel ſi tantus non eſſes Pontifex. Qui verò cultus in moribus? quæ in Templi cultu munditia? qui delectus meliorum? quæ in gubernando iuſtitia? quæ in iuſtitia manſuetudo? quæ publicæ libertatis aſſertio? Quæ in rebus Vrbicis magnificentia, quæ prouidentia in externis? Audiant te Principes, in publicum coibunt: adeant priuati, ipſam adeunt vrbanitatem. Natura ità fert, vt quæ res octauum in aliqua vlla ſpecie pertingit gradum, in eamdem omninò deſinat. Te, qui gradum imples vrbanitatis octauum, quis ipſam eſſe neget Vrbanitatem? Hæc eadem intenditur ad propinquos; planeq. illam ſortiuntur, qui tuum ſanguinem ſunt ſortiti. Proh quales alumnos nutris ad gloriam! Auguſte optime, ſacer Atlas, quot munimentis inſiſtis, quot tibi ſubduntur Hercules! Si relatus eſt Chyron inter ſydera ob vnum Achillem, quænam gloriæ lux, ob tàm multiplicem inſtitutionem, tàm Reip. ſalutarem, infrà tuum non eſt meritum? Tu verò Chriſtiani Orbis Sol, nullam relinquis partem, quàm non peruadas lumine radiorum. Quoquò permeas, vbiq. conſultum vis; omnibus vitalis, nec minus in omnibus, quàm ſuper omnes. Et quid mirum, eſſe illum omnibus omnia de beneficentiæ Cœlo, qui eſt quaſi Chriſtus in Terris? Verè ergò Beatiſſime, & verè Pater, qui ſingulos fouendo beare potes; quod ego tuarum virtutum Simulacrum, marmoreo illo, ac tàm laudato præſtantius, animo inſculptum gero, id ex animi immortalitate, non niſi immortale ſtatuo. Proindè ſilentem me, plures vel è Procerum numero, non ità pridem arguebant inurbanitatis, ergà Vrbaniſſimum Principem, me ad prouocandum ſeſe, vulgatis benignitatis indicijs prouocantem. Cur

enim

enim decennali ſilentio vterer? Cur laudes differrem, quas initio inchoaſſem? Cur non accederem rogaturus? Hìc ego, me ſatis ſuperq́. obſtrictum profiteri; Et ſi qua cuiuſquam animo beneficia exciderent, indignum appellare eum, in quem recideret beneficium. Illi contrà; ſummæ potentiæ parem adiungi munificentiam; Deiq́. ſuſtinentem vices, nulla potius laude, quàm laude humanitatis, ad Diuinitatem accedere. Ego verò id vnum referre. Magnanimum Parentem, qui ſe rogari tàm humaniter vult, id agere, vt rogari non debeat. His interuènit tua, Beatiſſime Pater, liberalitas; illorumque, ac meam cauſam, hìnc inde bonam ex ſe, vtrinque meliorem effecit. Sed vt omnia certent, tuæ ſolius eſt beneficentiæ victoria. Cui dùm adſtrictiſſimum me ſentio, grates debeo, ſoluendo non ſum. Parte ex altera ad laudes allicior, illarum magnitudine abſterreor. Sed tamen, dùm laudationem molior, dùm tua curo vt beneficia ſuſtineam, eſt quòd gratuler exiguitati meæ, quòd tu me exilem, extare Simulacrum velis magnanimitatis tuæ. Te verò, qui in tuis es virtutibus immortalis, immortalem eſſe contendam in meis beneficijs. Deumq́. interim tuam ſoſpitatem rogans, ſupremo id voto contendam, vt voti huius diutiſſimè compos efficiar.

Laus Deo, & Beatiſſimæ Virgini.